

Die 5 Decembris  
S. Sabbæ, abbatis  
Memoria

*Ant. ad introitum*

cf Os 2, 14 b. 19 a

**E**cce ego ducam te in solitudinem, et loquar ad cor tuum.  
Et sponsabo te mihi in sempiternum.

*Collecta*

Deus, qui beatum Sabbam monasticæ vitæ fautorem insignem  
rectaque assertorem fidei providisti,  
da nobis in caritate semper facere veritatem  
ac tibi soli in gaudio servire perpetuo.  
Per Dominum.

LECTIO PRIOR

«Existimo omnia ut stercora propter Christum»

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses 3. 7-11

Fratres :

Quæ mihi erant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentiam scientiæ Christi Iesu Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora ut Christum lucri faciam et inveniar in illo, non habens meam iustitiam quæ ex Lege est, sed illam quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum et virtutem Resurrectionis eius et communionem passionum illius, conformans me morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 91, 2-3. 13-14. 15-16 (R.: 2a)

R̄. Bonum est confiteri tibi, Domine.

1 Bonum est confiteri Domino,  
et psallere nomini tuo, Altissime,  
annuntiare mane misericordiam tuam  
et veritatem tuam per noctem. R̄.

2 Iustus ut palma florébit,  
sicut cedrus Libani succrésct.  
Plantati in domo Domini,  
in atriiis Dei nostri florébunt. R̄.

3 Adhuc fructus dabunt in senecta,  
uberés et bene viréntes erunt,  
ut annúntient quóniam rectus Dominus,  
refúgium meum, et non est iniquitas in eo. R̄.

ALLELUIA

16, 24-27

R̄. Alleluia. V̄. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. R̄. Allelúia.

EVANGELIUM

«Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam»

✠ Lécio sancti Evangéllii secúndum Matthæum 16, 24-27

In illo témpore :

Dixit Iesus discípuis suis: «Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me invéniet eam.

Quid enim prodest hómíni si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hómínis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis, et tunc reddet unicuíque secúndum opus eius.»

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus et præsta:  
ut, inter prætereúntia ambulántes,  
discámus amáre cæléstia et inhærére mansúris.  
Per Christum.

*Ant. ad communionem*

Mt 16,25

Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam;  
qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

vel *Ant. ad communionem*

1 Cor 10, 17

Unus panis, unum corpus multi sumus, ómnes qui de uno pane participámus.

*Post communionem*

Deus, qui nos uno pane et uno cálice refecisti,  
concéde propítius: ut ómnium credéntium  
sit in Christo Iesu cor unum et ánima una.  
Per Christum.